



1. Budder (s. Joh. Franc.)
Epistola ^{am noventtam}
quorundam Ministrorum
Ecclesie in Silesia
vindicanam & Spectans.
1723.
2. Bücher (s. Christ. Frid.)
theses orthodoxæ &
1702.
3. Chladeny (s. Mart.) Diffi-
sistentiæ de maximam ex
consilio Gamahelis cavem.
Jam, Wittenb.
1719.

PECCATA OMISSIONIS
QUINDECIM

in Programmate Wittenbergensi

Celeberr.

DOMINI

D. J. G. NEUMANNI,

P. P.

apologeticè observata

à

JOH. HEINRICO Steinfeldens

S. S. Scripturar. Cultore.

Luther. de Captiv. Babylon. tom. II. J. L.
f. 273. fin. Neque Papa, neque Episcopus, neque unus homi-
num habet jus unius syllabæ constituendæ super Christianum
hominem, nisi id fiat ejusdem consensu. Quicquid aliter
fit, tyrannico Spiritu fit.

ANNO M DCC II.

PECCATA OMISSIONIS
QUINQUE
in Programmate Weinbergensi
D. O. M. N. I.
D. J. G. NEUMANNI

apologice oblectiva

JOHANNES BAPTISTA
Luther de Capite Babylonis II. J. J.
hanc in scriptura recte dicitur: hanc tam homi-
nibus in illis libris continetur: hanc tam
hanc tam in his libris continetur: hanc tam
de tyranico spiritu

Anno MDCCLXII





LECTORI CHRISTIANO

Salutem preces & officia!

Postquam præterlapsa *Exaudi* Postarum effedo vectus huic Regiæ è Pomeraniâ redux appropinquabam, retulit unus ex Comitibus, Berolini in Bibliopolio vendi Programma, à Celeb. Dn. D. *Neumanno*, Wittenbergensium Theologo, contra me publici juris factum. Inde sine mora emo, & lectis plagulis omnium inter nos actorum probè reminiscor, ac inprimis egregia quædam *Peccata omissionis*, in dicto Programmate primo statim obtutu animadverto.

§. 2. Duo in isto conflictu, ad quem ab aliquibus auditoribus *Celeb. Doctoris* provocabar, vel, ut mollius eloquar, alliciebar, à me proposita fuisse argumenta, benè memini. Primum, utpote ad exercendum tantum Dn. Responsurum nexum, statim mitto. Alterum in forma erat hoc:

Q. agnoscunt symbola nostrarum Ecclesiarum Lutheranarum, Illi vestram reprehensionem Wittenbergensem non merentur.

A. Isti, quos seculum nomine satis honorabili insignivit, Pietistæ, agnoscunt s. n. e. L.

E. Pietistæ vestram r. W. n. m.

§. 3. Respondens factâ enstasi ostendebat, argumentum non procedere. Siquidem & Calviniani (hæc erat vox V Wittenbergensis) agnoscerent symbola, qui tamen falsis fratribus annumerandi. Ego repono, multum interesse discriminis, Pietistas inter & Calvinianos, vel [hæc meæ erant dictiones] ut placidius dixerò, Reformatos. Istos enim assumere Confessionem Augustanam Invariantam, & Totam Formulam. Quod de his nemo affirmaret.

§. 4. Nec abs re erit addere, Dn. Respond. argumento meo inimicuisse sanctimoniam vitæ, ut iste eliceretur sensus, *Pietistas [ita scilicet per opprobrium salutatos]* eosdem prorsus esse cum V Wittenbergensibus

A 2

& hu-

& hujus generis *γυναικας* Lutheranis. Ast ego factâ hâc interpellatione: *De Moribus Viri nihil dixi*, adjectitium illud declinabam.

§. 5. Reinter Resp. & Oppon paucis ventilata totum negotium ad Magnificum Dn. Præsidentem devolvebatur, qui nominare audebat errores Pietisticos, sed non illos, quos fama mendax animabus affingit integris, verum tales levioris momenti, quos non expectassem, *de Confessione scilicet, de Chiliasmo, & de alijs: nescio quo? Puncto exiguo.*

§. 6. Hâc dicâ scriptâ, afferebatur, Pietistâs everfam velle Confessionem. Quod cum negarem, testimonium producebatur Berolinensium, præcipue Schadii nostri, τὸ γυν εἶ ἀγλαῖς. Ego regerebam, fideles Berolinenses ex Scripturis & nostro Megalandro didicisse, Confessionem esse ritum in sese laude suâ non viduandum, sed adiaphorum, in cuiuslibet fidelis arbitrio positum, adeoque licitum ipsis visum, è Papæ servitutis vinculis iterum in Evangelicam transire libertatem. Firmat am ex Luthero assertum meum ex Tom. VII. Jen. Germ. fol. 10. b. qui me contra C. D. sequentibus tuetur: *Desgleichen ist auch von andern verständigen Personen / so sich selbst wohl berichten wissen / zu sagen / damit nicht wieder ein neuer Pabst-Zwang oder nöthige Gewohnheit aus solcher Beicht werde / die wir sollen uns müssen frey haben / und ich D. Martin selbst etliche mahl ungebeichtet hinzu gehe / daß ich mir nicht selbst eine nöthige Gewohnheit mache im Gewissen / doch wiederum der Beicht brauche / und nicht entbehren wil / allermeist um der Absolution (das ist / Gottes Wort) willen. Denn das grobe und junge Volk muß man anders ziehen und weisen / weder die verständigen und geübten Leute.*

§. 7. Dn. Præsides putabat, me non intelligere genuina Theandri sensa, quæ ex eodem haurienda, indeque edecumatum Confessionis in Programmate expressum allegabat ex Viro DEI elogium: quod nunquam inficiatus, ut pote qui ipsum talia adduxeram. Idecirco thesin deserui querebar, quæ non esset, num Confessio laudes suas mereatur, sed num juris sit divini, adeoque absolute necessitatis, utrum vero Ecclesiastici instituti? Ex Luthero, qui regnabat in ista disputatione, rem declarabam, qui ait, Virginitatem sese velle nimium quantum extollere, num forsan essent, istam electuri, & neminem à Conjugio arcere. t. 1. f. 514. a. num. 9. Pari modo ad Cælos usque afferenda Confessio, sed hoc esse *radio plenum, Papam exinde stabulum necessitatis*

cessitatis servasse & præceptis ipsam comprehendisse; Sicuti & cum Virginitate faceret. Digna sunt, quæ in linguâ vernacula legantur l. c. f. 512. init.

§. 8. Et quoniam cardo disp. in hoc vertebatur momento, ideoque plurima inter nos invicem commutabantur verba, ita, ut ego à partibus Lutheri stans semper affirmarem, Beatum Heroa constanter ab exordio salutaris Reformationis ad beatum usque halitum, Confessionem liberam esse debere, asseruisse. Proxoco præter alia ad tom. 7. fol. 369. b. de anno 1539. Annum nomino, nequis opinetur, ex scriptis Lutheri prioribus, quæ in posterioribus revocasset, talia excerpta. Princeps ille §. 6. citatus locus simili ratione anno 1538. scriptus legitur. Quod probè notari merebitur. Non possum me continere, quin adscribam aliam cedro dignissimum ex tom. 7. f. 12. b. Doch so ferne / daß es alles frey bleibe. Denjenigen unverbothen / die derselben Absolution brauchen wollen / und von ihren Pfarrherr vielleicht lieber haben (als von einer öffentlichen Kirchs-Person) denn von einem andern / auch vielleicht nicht emphehen können. Wiederum diejenigen ungezwungen / zuvor so sie wohl bericht im Glauben und in der Lehre Christi sind / so alle ein Gott beichten wollen.

§. 9. Inqueni sensum D. Quenst. Syst. III. cap. 9. thes. 17. m. 4. fol. 586. a. hunc coram Ecclesiæ ministro confitendi morem publico Ecclesiæ consensu receptum nos retinere, ait, non ut in S. literis expressè mandatum adeoque nec &c. Unde vanus labor impendebatur à C. D. citatis aliquibus Sacri Codicis dictis, videlicet ex 2. Sam. XII. 13. & Joh. XX. Quem priorum locum responsione nostrâ indigere, non iudicavimus, sed sicco, quod dicunt, pede transimus. Quid enim David ad illum, qui S. Synaxin accessurus consuevit in quibusdam Ecclesiis nostris formulam Confessionis prius edere amat? Certè Rex poenitens agnum comedere Paschalem, non meditabatur, nec Nathan templum introgressus sellam Confessionarii occuparat. Evolvere poterit D. Joach. Hildebr. Theol. Dogmat. c. 18. p. 577. &c. c. 20. p. 729.

§. 10. Ad alterum locum è Johanne opposui pronunciatum Magni Martini: si quod dictum, scribentis, in Bibliis contra privatam Confessionem, hoc profecto est; ex tom. I. f. 509. init. Et circa finem folii dicti a. En! sic hoc dictum, ad Confessionem devorserunt, cum illud ipsum sit, quod confessionem liberam faciat. Hæc facile damus, potestatem clavium ministris

stris verbi à DOMINO conceditam : damus , peccatorum remissionem poenitenti impertiendam : damus quoque , poenitentiam ex Confessione solâ colligendam . Sed ex hisce tribus mediis terminis neutiquam sequitur , ut fideles ad confitendum coram Pastore obligentur .

§. 11. Errat , certè errat Magnificus Adversarius , dum affirmat , ad substantiam (quanquam de hac distinctione nihil dixit in istâ ventilat. VVittenberg.) Confessionis privatæ sufficere confessionem hominis credentis , coram sacerdote , atque hanc [confessionem] esse juris divini . Si , inquam , C. D. intelligit , sicut ego ipsius mentem aliter capere non possum , Confessionem hanc esse præcepti divini , toto errat caelo . Siquidem dicta Confessio coram *Sacerdote* [ut retineamus vocabulum VVittenbergensium Pontificium , de quo consulatur noster t. I. f. 393. seqq. 363. a. fin. Idem t. 2. f. II. b. & fol. 255. b. &c.] nunquam in sacris pandectis præcepta . De circumstantiis sèllæ , formulæ , &c. nihil in disput. actum , aut ego insigniter fallor . De consuetâ coram presbytero enunciandâ Confessione peccatorum privatâ litigia orta & finita . Quæ in Programmate addita , nova sunt , non sine animo subdolo , eo nimirum feliciter elabendi , prout solent Sophistæ mali sibi conficii , huc , illucque se vertere , dum sentiunt veritatem in pectore sui ultricem certissimam .

§. 12. Institutionem istam divinam veneror , osculor , cujus beneficio verbi ministri potestate remittendorum peccatorum pollent , sed malè exinde concluditur , fideles ad edendam Confessionem hujusmodi esse adstrictos . Ubi , quæso , legitur , aut per justam & necessariam consequentiam elicitur : Qui dignus S. Coenâ frui exoptat , ille adeat prius ecclesiæ Diaconum , & confiteatur , quæ deliquit . Mihi ex pleno libertas relicta , confessionem & edendi & omittendi , absolutionem receptam & petendi & non petendi . Quæcunque objecit C. D. illa confutavit in solidum divinissimus Luther . t. I. fol. 508. fin. f. 509. 510. 511. quippe qui argumenta Romanensium , quæ ejusdem profusus cum Neumannianis valoris , hoc est , quæ æquè ficulnea , masculè profligavit & discidit Ense verbi , ita , ut sapius miratus fuerim , quî nostrates ab hoc Coryphæo , de quo adeo in vanum gloriantur , tam turpiter desierint , ex Nemesi divinâ profecto severissima . Evolvatur denuo Noster contra recentes & veteres Papistas t. II. fol. 277. fin. & fol. 278.

§. 13. Postquam itaque scuto tanti Hectoris me semper contra theses Pontificias C. D. fortiter munierim , tandem quæsitum , cuinam vero copia

copia remittendorum peccatorum data esset? quam ecclesie, in qua valet neque mas neque foemina, merito vindicavi. Instabat C. D. novâ quaestione, quâ me ad absurdum profus adducere opinabatur, num & foemelle istâ gauderent potestate? Quod asserui, utpote qui foemellas ecclesiâ excludere, & jure suo privare, nefas duco, hæredes pariter regni cum maribus appellandas.

§. 14. Hic suboriebatur cacchinnatio studiosorum, quibus cum suo Professore talia peregrina & ἀτοπα profus erant. At ego ad auditorium conversus, serioque vultu indutus ita: *Clarissimi Commilitones, nolite jocari. Hæc enim est cælestis veritas*; affabar, & illico infecutum silentium.

§. 15. Miram meam thesion adstruebam oraculo illo preciosissimo, hecatombe dignissimo, quod Lutherus toties contra Papam allegat, Matth. XIX. 17. 18. 19. Adscribo locum ex tom. I. fol. 515. b. O daß dieser Spruch nicht wäre im Evangelio! das wäre wohl für den Pabst. Denn hier gtebt Christus die Schlüssel der ganzen Gemeine / und niche St. Petro. Und hieher gehöret auch derselbe Spruch Matth. XVI. da er St. Petro die Schlüssel an statt der ganzen Gemeine gab. Denn in diesem XIX. Cap. glossiret sich der Herr selbst / wem er die Schlüssel habe im vergangenen XVI. Cap. in St. Peters Person geben. Sie sind NB. allen Christen geben / nicht St. Peters Person / und hier zu soll auch der obgerührte Spruch Joh. XX. sich fügen. Drey Sprüche einerley Meynung / damit Christus die Christliche Ordnung / Sünde zu straffen / hat eingefest / daß dazu des Pabstes Befehl kein Noth noch nütze ist. Conf. f. 509. a. f. 325. b. f. 517. b. f. 519. b. & t. II. f. 101. fin. ubi f. 229. a se ulterius explicuit: *Wey welcher gemeine und NB. bey einem ieglichen Glied derselben ist die Gewalt der Schlüssel / die Sünde zu vergeben / das Evangelium zu verkündigen / sonderlich und öffentlich / so es dazu von den andern / gleicher Gewalt / gefodert wird.*

§. 16. Ne vero cui cavillandi ansam præberem, statim annexi, notum esse discrimen inter *Fus & Juris Exercitium*. Illud competere dixi ecclesie & singulis ipsius membris, in quibus [spero] sexus foemineus censendus. Quæ ecclesia, utpote ordinis & subjectionis amantissima, hoc juris exercitium ad εὐσχημοσύνην ritè excolendam certo cuidam Individuo assignet, quo omnia in grege sanctorum sanctè, decenter, & ordine fiant. Hæc distin-

distinctio Juris & ejusdem exercitii non à C. D. sicut Programma loquitur, sed à memet ipso in medium allata. Proinde misère detorta sunt omnia à C. D. qui curva eligere secum constituit. Deum colo, Deum ordinis. Status non everto, nec Pastores è subfelliis confessionum deturbo, nec confessionem coram quolibet edendam esse, ita crudè pronunciaui. Singulis fidelium, ait noster Lyserus in Harmon. t. I. c. 58. fol. 937. a. *etiam NB. mi- nimis* suum jus, quod in claves ex concessione Christi habent, manet integrum. Quemadmodum enim cives liberæ alicujus civitatis omnes, quot quot urbem illam incolunt, communè jus habent, & parem libertatem, quod Remp. attinet, & tamen ordinis causa eligunt Senatores, hisque præficiunt Consulem, cui Claves urbis & statuta tradunt &c. 1. Cor. III. 21. Quod fu- sius ibi contra Lojolitas demonstratum.

§. 17. Hisce variè disquisitis nova enascebatur quæstio à C. D. mo- ta. Moris enim ipsius erat, semper ad alia transfugere, ubi diutius per ve- ritatem victricem stare, non par erat. An omnes, cujuslibet etiam sint ordi- nis & sexus, concionatores habendi & suspiciendi, utpote ex mea sententia tanto jure & tanta eminentia ornati? Quam facilè solvi, adducto sacerdo- tio spirituali, vi cujus omnes, cujuslibet & ordinis & sexus veniant nomi- nandi, *Sacerdotes, non Concionatores*, scribendi. Adeoque nihil absolum admissi, quod dextrâ ad vicinum studiosum directâ dixerim, nobis invicem concessum jus, de quo jam sermo est. Cæteras circumstantias mentitur Programma, quas nihil moramur.

§. 18. Hic C. D. bilem effundebat multam adversus Venerandum nostrum in CHRISTO Parentem, Dn. D. *Spenerum*, quem contra non sine vehementi corporis commotione citabat querelam illam Spenerianam, *sta- tui Domestico à Politico & Ecclesiastico omnia ferè jura adempta*. Quod cum non sine judicio judicium deprehendissem, idem publicè approbaram. Ad quæ C. D. Quænam vero sunt illa jura? Ego: An vero nesciuntur il- la jura? Jura sunt votandi, ut JCti loquuntur, jura eligendi, quæ tantum pro forma Oeconomicus ordo adhuc possidet. C. D. ab iracundia abreptus ita: Erunt Jura venandi, illudere pergebat. Quam criminationem de- precabar. Ast C. D. subinde repetebat cavillum enormissimum, Quod cum perhorrescerem, nihil aliud, quam hoc: Est DOMINUS in Cælis, qui Virum Magnificum, & meam parvitatem judicabit, adjicie- bam. Par pari referre volebam è Schola JESU CHRISTI disci- pulus,

dulus, sed emendare cogitabam virum contra Pietistas adeo effervescentem.

§. 19. In superioribus, præcipuè §. 6. *B. Schadii* injecta fuit mentio, in quem nimium quantum invehebatur C. D. Ego ista omnia mea facere dubitabam, interea excusabam *virum a fidei orthodoxâ simplicitate, morum sanctimonia, & ministerii fidelitate admiraculum egregiâ* mihi notissimum. Præcipuè demonstrabam ex Prophetis Ezech. XVI, 2. 35. cap. XXIII. tot. ipsam ecclesiam DEI meretricem appellatam, quorum vestigia legerit *Sanctus ille Schadius, zelo pro Domo Domini accensus. Non in verbis, sed in sensu heresim querendam*, axioma Theologorum est.

§. 20. Omnia, quæ in nostris Cætibus, in spuris orthodoxæ ecclesiæ membris, invenio improba, & ratione doctrinæ, & vitæ, Babelica judico, utinam & ista omnia Romam ablegata! Magna illa Babylon, grande illud scortum, Roma; sed sorores proh! nacta in ipsis Protestantibus, Talia non sunt neganda, sed flenda & corrigenda. De *Reformata Ecclesia*, quantum recolo, ne verbulum quidem dicebatur. Vereor, ne D. C. Verrumnus humanam captaturus auram, Veronam prætervectus, Placentiam tendat, & hanc circumstantiam de suo addiderit, & in publicum disseminarit. VVittenbergæ enim nomen Reformatorem & Vatiniæ odio dignum putatur, quibus cum unio nunquam ineunda.

§. 21. *Devotus ille Deo Schadius* C. D. audiebat *abnegator fidei*; Ad quod scomma stupui, & vultu cælum versus elevato, Numen adoranti & suspiranti similis, abominabar iniqua in defunctum dicta. Quid? inquiebam; *μη γένοίτο!* *abnegator vitæ & seculi, non fidei.* Persuasissimus sum, Schadium, quem [grande nefas] Fanaticum hominem C. D. nuncupat, ad cœlica, eaque eminentissima gaudia evectum, *Doctorem justitiæ in hisce terris incomparabilem*, utinam tantummodo sperare liceret, talem esse C. D. in quo Spiritus J. C. habitaret; utinam non tristitia in contrarium obvia essent indicia, vel ex solo hoc Programmate emicantia. Zelus hic C. D. non est ex DEO, qui suscitatum sese fatetur à viris, quibus obsequendum non erat, pio nomini inimicis, indignatis scilicet, postquam de veritatis victoriâ contra suum Neumannum intellexerunt, pietatem in veritate lauream deportasse, à quâ colligari, quid svavius? quid dulcius? Proinde bene anima suæ, & sibi con-

creditorum consuluisse, si veritati non amplius renisus, criminari tandem desisset.

J. 22. Hisce ipsis diebus offendi in scripto Gallico locum in C. D. & eruditos profanos nostrisæculi apprimè quadrantem, sic se habentem: Il est estonnant, inquit pius Auctor, que les habiles têtes *du siècle éclairé*, qui font tant de Cas de leurs doctrines, ayent si peu d'esprit, que de ne pas s'apercevoir, que toutes leurs sciences, toutes leurs manières d'étudier les choses divines & humaines & toutes les idées, qu'ils s'en font forgées, ne valent rien du tout, par la Considération des fruits, qu'elles portent, & des effets, qu'elles produisent; vû que JESUS CHRIST nous assure, que tout arbre doit se connoître par son fruit. Or on ne voit pour tous effets des lumières *du siècle éclairé*, que l'accroissement de toutes sortes de maux. On n'y voit, que divisions, contentions, animosités, haines implacables, envie de se calomnier & de s'exterminer les uns les autres, autant qu'il est possible: On y peut remarquer, que la science des plus doctes & des plus moderés *aboutit enfin à l'athéisme*: que les philosophes *abandonnent Dieu* pour n'adhérer, qu'à l'idole vaine de leur raison corrompue: que les plus fins critiques semblent vouloir planter par tout le *vray athéisme* du cœur, je veux, dire, *le malheureux pélagianisme, qui nie & bannit du cœur des hommes la présence de Dieu & de son esprit, ses opérations intérieures, & les lumières de sa divine grace*, par lesquelles il nous avertit de notre corruption infinie, & nous en veut guérir, si nous leur donnons place par une véritable humilité. Mais, ce qui est bien le pis de tout, c'est, qu'il n'y a rien de si éloigné des esprits de *notre siècle éclairé*, que l'humilité, ni rien de si profondément & de si universellement enraciné dans eux, que l'orgueil.

Utinam discat C. D. non odia nec infaustam rixandi artem, sed veritatem, quæ in JESU CHRISTO est, auditoribus suis instillare, quo ipsis Israelis fontibus degustatis, DEUM ex animo timere, & in abnegatione sui ac mundi, nec non in perpetuo precum humilium exercitio DOMINUM imitari adfuescerent. Sic innocentes fugillare, dedicerent, sic nomen pium laceßere, obliviscerentur. C. D. opperiat, quam sententiam Judex Justissimus contra ipsam laturus, Doctorem & auctorem cavillorum, quæ indies, imo quavis fere hora in Venerandum nostrum Spenerum & fictos hæreticos proponuntur. *Juvenem negligere*

re

re & virginem corrumpere, peccatum aequè grande cenfet B. Lutherus. Plura prae anxietate pectoris non addo,

§. 23. Qua fronte me hominem, quem ipsemet scribit satis modestum nec omnino inerditum, istis annumerare potuit, qui *cumulatim* indices prodeuntes Ecclesiam nostram infestent. Confer, elegantissima glossa Lutheri ad Psalm. 84. 7. Novit C. D. & ipsius auditorium novit, quantà ipsi assurrexerim humilitate, quoties criminationes, quas in pium evomuit gregem, sardus audierim. Ex quo omnino animadverti potuit Spiritus CHRISTI submissus. Ex illis si forem, qui cursitando & per casus obliquos sacra ambiunt munia, profecto multis abhinc annis amplam nactus Spartam, imo si modo VVittenbergenfium placita, & mores adoptassem, certè ad suggestum & cathedram raptus fuifsem.

§. 24. In publicum scribere non erubuit C. D. me propugnasse errores, sed quos, quia non potest, nominare nescit, cum tamen cuivis clareat, ipsum ne minimum quidem celaturum, si quid esset, quod contra me in medium produci posset, utpote cujus crena tota in eo desudavit, ut nihil, nisi quod pro veritate & innocentia nostra, omitteretur. Peccavit proinde C. D. [*salvis Commissionis*] peccata omissionis non pauca.

Primum peccatum Omissionis noto §. 2. Vera enim formalia argumenti non sine injuria in Oppon. omiffa.

Secundum §. 3. Vocabulum Calvinianorum omiffum, Reformatorum in istius locum substituto,

Tertium §. 4. Egregium monitum meum Domino Respondenti datum omiffum,

Quartum §. 6. quae pro fidelibus Berol. eorumque antesignano attuli, omiffa, saltem manca adducta.

Quintum §. 7. Declaratoria è Luthero omiffa.

Sextum §. 8. Mens Lutheri perpetua, quam in disputatione diligenter inculcavi, circa substratam materiam omiffa.

Septimum §. 10. Lutherus, quomodo oppositus, omiffus.

Octavum §. 11. 12. Iterum mea ad consecutionem perverſam omiſſa.

Nonum §. 14. Aliquot circumſtantiae facti, quibus mihi maculam adſpergere tentat, omiſſa.

Decimum §. 15. Interpretès Lutherus VVittenbergæ productus omiſſus.

Undecimum §. 16. Diſtinctio mea Juris & Juris exercitii non ſine inſigni, quod queror, improbitate omiſſa.

Duodecimum §. 17. dimidia omiſſa.

Tertium Decimum §. 18. Virulenta C. D. omiſſa.

Quartum Decimum §. 21. Aliqua omiſſa & depravata.

Quintum Decimum §. 23. Omiſſi ſunt errores, quos in numero plurali ſcribit, & indigitare nequit, in cerebro C. D. natos.

§. 25. Coronidem priuſquam labori huic imponam, neceſſarium arbitror, aliqua adhuc addi ad cognofcendum Spiritum C. D. dominatorem. Ipſemet C. D. ſatetur, me ipſi è privato congreſſu ante captos diſcurſus publicos innotuiſſe. Sed opera precium eſt, ut ex illo priori colloquio, cui aliquot, ni fallor, tres Candidati intererant, unicum memoretur. Omnia enim recenſeri vix poſſunt, nec Lectori, omnia noſſe, proderit. Narra-
bat C. D. adſuiſſe aliquos Pietiſtarum, qui ſibi arrogarint vitam, *exceptis lubrica juventutis annis, ab omni peccato mortifero alienam.* Quod ipſum neuiquam admittere volebat C. D. Ego mirabar vehementiſſime, talia à Professore Theologo reprehendi, indeque reſpondebam, hocce virgulam cenſoriam non mereri, cum è quâvis ferè plagulâ Apologiæ A. C. contra Pontificios manifeſtum, *fidem non poſſe conſiſtere cum peccato mortali.* Olim ſuccenſebam Patribus improbiſſimi Concilii Tridentini, qui credentes pronuntiarent dari adulteros, &c. ſed poſtea mitius ſentire cœpi, dum in Cathedra Lutheri eheu! tam crassa Papæa propagari & mentibus imperitæ juventutis implantari expertus. Siquidem C. D. invehitur in fideles, qui pro gloria DOMINI ſui, beneficio Spiritûs Sancti contententur, ſeſe, demptis tamen juventutis in vitia ſecti faciliſ annis, ſine lapſibus mortiferis vitam tranſegiffe. Debuiffet C. D.
prædi-

prædicare gratiam DEI in animabus Spiritui morigeris adeo efficacis, illius: τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε. i. Theſſal. V, 19. memor. Verum non tantum non extollit operationes divinas, ſed & deprimit, imo, quod aggravat delictum, in pejorem partem rapit, non ſine magnâ in ſanguinem Agni blaſphemia. Quid inde mirum, ſi peccat peccata omiſſionis quindecim C. D. qui hanc theſin, renatum non poſſe degere ſine peccato mortali, propugnat.

ſ. 26. Ipſo die, quò VVittenbergâ diſceſſi, valedicturus C. D. acceſſi, qui me iſta urbanitate accepit, & dimiſit, ut verbis exprimere vix poſſim. Ubi me nominabat, nominabat autem ſæpiſſimè, me ſuum, charum, honoratiſſimum ſalutabat, adeo, ut charitatem in me expromiſſe omnem videretur. Querebatur, nunquam ex Halenſibus ſeſe vidiffè talem, qui ita ſeſe explicuerit. Conteſtabatur, Zelum hæcenus oſtenſum ſuum fuiſſe pro veritate tuenda; & ſi exceſſum admiferit, DEO id factum. Verbis utebatur, quæ in verſione noſtra Germanicâ leguntur 2. Corinth. V. 13. **Habe ich ſeithen zu viel gethan / ſo habe ichs GOTT gethan.** Hæc circa abitum meum acta moverunt me, [quam enim piam animam talia non moverent?] ut multa mihi ab hoc C. D. promitterem, ſicuti apparet ex Epiſtola, quam in ipſa Academia dictâ ad quendam Illuſtrem Baronem Sacr. Regiæ Majest. Pruff. à Conſil. Intimis, Dominum meum Per-Clementem ſcripſi, ex quâ ſequentia fideliter excerpta jungo:

Plura relatu digna occurrebant, quæ autem de induſtria tacebò; ſed tacere non poſſum Neumannianam Charitatem proſus exuberantem cum candore non vulgari conjunctam, quam adeo in me abiturientem expromiſit, ut illam ſilere, nefas ducam. Novi, fore, qui ex amicis noſtris vix fidem dictis habebunt, ſed gaudere ex animo poſſum, talem me deſerviffè Dn. D. Neumannum, qualem merito prædicare in conſcientia obligor. Doleo, VVittenbergam adeo ab Halenſibus præteriri, certus, ſi qui ſanctimoniâ & eruditione ſolidâ armati, illuc accederent, & capita controverſiarum inter ſeſe invicem diſquirerent, diſcordiam brevi ſpatio è medio ſublaturum iri, quæ hæcenus miſe-

rè miseram laceravit ecclesiam, dum in propria proh dolor! fœvitum fuit viscera nostratum ecclesiarum Lutheranarum.

§. 27. Sic solvi debitum charitatis, & forsân plus solvi, quàm debui. Erga quemlibet extuli C. D. qui me, integrum hominem, adeo, prætexto Nomine divino & assumto illo, quod ex 2. Corinth. V. allegavi, apophthegmate fasciatus. Idcirco ingemisco, & pectus lacrimatur meum, quoties hanc versipellem mentem pondero viro Christiano & Theologo Doctore indignissimam, quàm ilis bella DOMINI bellans non indutus esto. Meum est precari, ut C. D. inveniatur misericordiam in die DOMINI, à quo ipsi resipiscantiam sine fuce exorabo.

§. 28. Ne vero Lector Christianus ambigat, hæc narrata solido inniti veritatis fundamento, coram DOMINO, in cujus facie hæc exaro, assèvero, nihil horum vel circa minimam circumstantiam aliter me retulisse, ac res ipse exposcerunt, utpotè qui probè didici, falsum testimonium cum qualibet calumnia contra innocentem, DOMINO abominationem esse. Hunc itaque veritatis testem & vindicem imploro, si ex malicia quid addiderim aut dempserim, quod ad informandum Lectorem conducere potuisset.

§. 29. Prævideo, fore quosdam ex ipso consortio piorum & amicorum, qui forsân immitius interpretabuntur, quod C. D. criminationes, quas commississet, & hujusmodi alia duriora objecissent. Verum hi pacis amatores nòrint, quod non viderim, quomodo me alium exhibere poterim, cum talia atrocita nominanda essent, quæ elegantibus dictionibus & amœnis phrasibus eloqui non scierim. Scapham scapham vocitandam, tritum est proverbium; præcipuè exinde verum, si reputetur, contra istum me calannum strinxisse, qui veritati contra verberantem conscientiam destinato consilio contradicere, & in Pietistas acerbissimè debacchari gestieri, quos *homines improbos, symbola simulatè & apparenter recipientes, in ultimam Thulen & Pensilvaniam, talium Quakerorum regionem, relegandos, qui status hierarchicos sublato cupiant*, scribere, non veritus, teste Programme, hujusmodi Sannis truculentis scatente roto, quod

quod acerrimam promeruisset satyram. Idcirco veniam dabitur, æquique
judices, huic incompto stylo, etiam quandoque acerbiori.

§. 30. Tandem sciat C. D. hæcce me invitum sub curis majoribus,
& mille rectoris, necessitate ita exigente, communicasse, sed non
sperandum, ut nova addantur. Siquidem, si vel maxime C. D. ipse,
aut per alium, aliquem libellum famosum divulgare ausus fuerit, ego
ista opprobria silentio & generoso ac Christiano contentu me vindicaturum,
propofui; qui horas salubrius locare, ex Spiritu CRUCIFIXI cognovi,
cujus ductibus Lectores ex animo commendo. Scrib. Berolin. M. Jun. MDCCCLII.

*Conscientia mihi pluris, quam omnium
hominum sermo.*

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text, also appearing to be bleed-through.

Third block of faint, illegible text, possibly bleed-through.




08 A 6423

Sl

R

VDA

Hi. 75.





34

PECCATA OMISSIONIS
QUINDECIM
in Programmate Wittenbergensi
Celeberr.
DOMINI
D. J. G. NEUMANNI,
P. P.
apologeticè observata

JOH. HEINRICO Steinfeldeni
S. S. Scripturar. Cultore.
Luther. de Captiv. Babylon. tom. II. J. L.
f. 273. fin. Neque Papa, neque Episcopus, neque unus homi-
num habet jus unius syllabæ constituendæ super Christianum
hominem, nisi id fiat ejusdem consensu. Quicquid aliter
fit, tyrannico Spiritu fit.

ANNO M DCC II.